

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Dominica XX. post Trinitatis.

Evangelium. Matth. 22. v. 1. --- 14.

EXORDIUM.

DE Samſone memoratur, quod in Thamnatha de filiabus Philistiim ſibi *ſponſam* elegerit, quæ oculis ejus placuerit, & conſenſu Parentum ſuorum impetrato, deſcendit cum illis & inſtituerit nuptias. Convivis autem nuptialibus propoſuit *problema*, additâ hac promiſſione, quod velit, ſi ſolverint intra ſeptem dies convivii, illis dare triginta ſindones, & totidem mutatorias veſtes: ſi autem non ſolverint, ſibi triginta ſindones, & totidem mutatorias veſtes dari volebat, Jud. 14. v. 1. & ſeqq.

Simſon typus Chriſti fuiſt, qui gigas geminæ ſubſtantiæ eſt, & leonem rugientem Diabolum vicit, Apoc. 5. v. 5. ejusq; opera diſſolvit, 1. Joh. 3. v. 8.

Quemadmodum igitur Simſon ſponſam ſibi elegit, è Philistiim, *populis male diſtis*, & cum Parentum conſenſu nuptias celebravit: Sic etiam cœleſtis ille Samſon, ſive vir Solis, Chriſtus Jeſus, ſponſam ſibi quaerivit, non in cœlo inter Angelos, ſed in his terris, *inter homines peccato contaminatos*: quod non fortuito ita factum eſt, ſed juxta decretum patris cœleſtis, quò opus humanæ redemptionis promoveretur. Commendat enim Deus caritatem ſuam erga nos, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, Rom. 5. v. 9. Tempore igitur illo adveniente, quod in SS. Trinitatis conſilio præſinitum fuit, comparuit ille, & cum ſponſâ ſuâ nuptias celebravit, ut jam ſponſus

& maritus noſter, Eſa. 54. v. 5. nos verò ſponſa & adamata ejusdem vocemur in æternum, Eſa. 62. v. 4.

Ad has nuptias non pauci duntaxat invitati ſunt, velut ad nuptias Samſonis, ſed omnes omnino homines cujuſcunque ſint generis, conditionis & ætatis. Dominus enim per ablegatos ſervos ſuos, invitatis annunciarum jubet, omnia parata ſunt, venite ad nuptias. Sive ut apud Eſaiam verba jacent: Omnes ſitientes venite ad aquas, Eſa. 55. v. 1.

Problema nuptiale eſt prælecta parabola, de Rege, qui fecit nuptias filio ſuo, in quo nobis allegoricè non modò ingens gratia & *φιλανθρωπία* patris cœleſtis erga genus humanum, ſed & mundi ingratitude & contemptus, ut & horrenda pœna, quæ ſucceſſit, delineatur & proponitur.

Nos hac vice ſcopo noſtro inſervientes, tractabimus ex hoc Evangelio

I. *ἀνθροπολογίαν*, ſive *notitiam noſtrâ*.

II. *χριστογνωσίαν*, ſive *notitiam Chriſti*.

J. J.

Exegetis.

PRælectum Evangelium propriè ad paſſionem Servatoris noſtri pertinet. Paulò enim ante paſſionem & mortem ſuam cum inimicis ſuis, Pharifæis & Scribis in acrem diſceptationem venit: & quia non inſcius erat, quod vitæ ſuæ inſidias ſtruerent, in aliquot parabolis illis ostendebat, quantumtopere errarent, & quantâ aliquando pœnâ